

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 62. Maxima Pontificis sollicitudo de convocanda Synodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul XVI. bito moderamine , cognita ab injuriis
A.C. 1560. vindicabat.

§. LXII.

*Maxima Pontificis sollicitudo de con-
vocanda Synodo.*

Verum inter omnia , quæ novus Pon-
tifex præclare gesserat , maximum
fane erat futuri Concilii negotium ; eo
enim, unica & præcipua ejus sollicitudo
tendebat : quapropter anxiis hujus rei
curis impulsus coram Morono Cardina-
le, cuius prudentiam, piamque volunta-
tem sibi sat perspectam habebat , palam
fatebatur, quod ambigeret : „An futu-
rum effet pro bono sedis Apostolicae Con-
cilium convocari , nec ne ? „ Deinde
si minime videatur celebrandum, utrum
expeditat absolute abnuere Concilii in-
dictionem , & Concilium flagitantibus
libere se opponere , an vero voluntatem
ejus celebrandi obtendere , atque inte-
rim omnia impedimenta præter ea,
quæ negotium ipsum suppeditabit, un-
de quaque conquirere ? Insuper si expe-
ditat habere Concilium , utrum satius fit
expectare, quoad flagitetur, an vero postu-
latis prævertere ? adhæc volvebat men-
te causas, quibus adductus fuerat Pau-
lus III. ad Concilium prætextu transla-
tionis dissolvendum, nec minus considera-
bat etiam pericula, in quæ Julius III. præ-
cepit

ceps ruisset, nisi fortunam sibi faven- Sæcul. XVI.
tem suisset expertus. Perpendebat nul- A. C. 1560.
lum nunc temporis reperiri Carolum
Cæsarem, cuius potentia sit formida-
bilis; sed quo debiliores sint Principes,
Episcopos eo esse vegetiores, magisque
potentes, atque ad hos potissimum esse
respiciendum, qui nisi per ruinam Pon-
tificatus extollere caput, & erigere se
nequeunt, nec eum latebat, rem
esse scandalum, ac offensionis plenam, Con-
cilium flagitantibus manifeste refragari,
tum propter speciosum nomen, & op-
inionem omnium animis initiam, mag-
num inde fructum Ecclesiam esse perce-
pturam: tum eo quod omnibus sit persua-
sum, ab his tantum Concilium repu-
diari, quibus odiosum est emendatio-
nis nomen. At si necessitas ad id con-
cedendum adigat, quod prius plane ne-
gatum fuerit, tum de existimatione sa-
cræ sedis plurimum decidere agnosce-
bat, timendumque esse, quod exinde
Principes facile induci possent, ut illo-
rum, qui ipsis restiterunt, auctorita-
tem deprimere adlaborarent (*).

Inter

(*) Hæc Continuator de verbo ex fœ-
cundo mendaciorum parente Paulo Sarpio de-
scripsit, quin tamen illum allegaret; timebat
enim, ne Lectores sui in hujus Auctoris ver-

ba

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

Inter has difficultates Pontifex pro re minime dubia tenebat, Concilium haberi non posse ad Ecclesiæ, aut Regnorum ob Religionem divisorum utilitatem, ac sine summo Auctoritatis Pontificiæ periculo: ex altera vero parte considerabat, quod, cum homines veritatis hujus minime sint capaces, ideo palam, ac manifesto Concilium repudiari non valeat. Ceterum de illo subdubitabat, an Regibus, aut Regnis Concilium depositentibus, rerum futurarum occasiones sic essent coalituræ, ut in impedimentis occultis satis virum sit futurum ad id remorandum. Redemum multum, diuque pensitata, constituit, consultius esse, ut ostenderet se promptum, & cupidum Concilii, & aliorum desideria anteverteret, quo teuctius eorum conatibus obsisteret, & existimationi suæ difficultatibus in contrarium repræsentandis rectius confuleret, deliberatione interim ea, ad quam humanum judicium non potest per-

ba inquirentes deprehenderent, quod nequam Pontifex hæc ad Moronum dixerit, sed duntaxat Sarpius Papam hisce curis agitatum finxerit. Hac autem ratione lector decepitur, qui dum rei gestæ veritates in historicis indagat, nil nisi cujusdam calumniatoris commenta invenit.

pertingere, in caussas superiores re-Sæcul. XVI.
jecta (*).

A.C. 15^o

§. LXIII.

*Synodi celebratio in quodam cœtu a
Pontifice proposita.*

Ergo quarta post coronationem die de-
cima Januarii summus Pontifex fre-
quentem habuit Cardinalium Senatum,
in quo copiosa oratione ostendit, esse
sibi animum, & Curiæ reformandæ, &
Concilii Oecumenici celebrandi; pro-
inde singulos monuit, ut serio cogita-
rent de iis abusibus, qui emen-
dationem requirerent, & tum de loco,
tempore, aliisque ad Synodus prævie
necessariis solliciti sint, ut majus ex hac
indictione, quam duabus superioribus,
in quibus ejus Prædecessores Zelo mi-
nus, quam par fuisse, a privatis stu-
diis

(*) Hæc rursus Continuator ex præfato
Scriptore maledico deprompsit: existimabat
enim hæc verba omnino suæ historiæ intru-
denda, eoquod hujus commenti utilitatem ei-
dem dictus Sarpius sat laculenter indicasset his
verbis a Sarpio in margine positis: *Perpetua
Pontificum ars, aliud in ore promptum, aliud in
pectore reconditum habere.*